



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Gabrielis Navdæi Parisini Pentas Quæstionum  
latro-philologicarum**

**Naudé, Gabriel**

**Genevæ, M. DC. XLVII.**

Clarissimo, & Eruditißimo Vivo, Ioan. Beverovicio, Doctori Medico Patauino,  
Gabriel Navdævs S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70696)



Clarissimo, & Eruditissimo  
Viro,

IOAN. BEVEROVICIO,  
DOCTORI MEDICO  
Patauino,

GABRIEL NAUDÆVS S. P. D.

**R**ENTADIS mea *Quæstionum*  
*Patrophilologicarum* ad opta-  
tum finem perducenda nulla  
mihi occasio poterat esse hone-  
stior, aut quæ magis sollicitaret officium er-  
ga te meum, Beuerouici πολυμαθῆσαντα  
quàm ab ultimis literis, quas Slingelandus  
noster, homo, quod tu quidem probè nosti,  
totus ad humanitatis rationem compositus,  
planèque τελεεινωθῆς, & mirificus studio-  
rum hominum inter se conciliator, mihi  
priusquam in urbem venire, tuo nomine  
reddem

reddendas curavit. Etenim licet omnes alia, quas ad me frequentes dare consuevisti, plenissima sint amoris illius, quo me vel immerentem prosequi, atque ornare soles, nescio tamen quomodo postrema sic animū pupugere meum, ut amantem te non amare, & illustri testificatione declarantem, qualis, & quā maxima tua sit in me voluntas, non aliquo signo prosequi, quod parem esse meā erga te propensionem declaret, tuoque muneri eximio ἀνίδωρον esse possit, hominis id factū esse ne dum ἀπαιδῶτες, ἢ ἀργότοις, inculti, scilicet, & habitantis rure, ubi tantū in pretio sint

—Corbes

Pers. Sat.  
tyr. 1.

Et focus, & porci, & fumosa Palilia  
fœno.

sed prorsus ἀπαιδῶτες, & ingrati inhumanique existimem. Cogitanti verò quo potissimum officij genere animum hunc meum tibi probarem, nullum certè mihi, aut magis opportunum, aut minus ambrosiosè questum visum est, quàm si ex facto tuo, & gravissimi Philosophi cōsilio, nempe ut gratus sim, velle debeo idem facere, quod ille, ut Beneficium daret,

Senec. lib.  
6. de be-  
nef. cap. 9.

velle debuit, tibi quaestionem hanc offerrem, earum annotationum loco, quas tu, cum primum in lucem pro Appendice ad elegantissimum librum tuum de Calculo prodirent, sub nomine meo apparere voluisti: non quod illud nulla esse apud homines auctoritate nescires: verum ut aliquam potius illi conciliares, indicio, quod de me tam praeclearum tulisti, & quo deinceps cessari in literatorum Republica maxime velim, & cupiam. Caterum eò lubentius animum appuli ad Quaestionem hanc de Vita hominum termino, pro facultate ingenij mei, quod tamen sentio, quam in me sit exiguum, discutiendam, quia tu, Beuerouici humanissime, mihi istud, ut facerem, auctor esse voluisti, dum in postremis tuis significas, optare te, Epistolicarum Quaestionum de Vita termino tertiae editioni ornatum aliquem ab nomine Clarissimi Liceti simul & meo accedere. Absque hoc enim fuisset, ego, cui sapissime in mentem venit commonefactionis illius Persiana,

Satyr. 4.

Respue quod non es, tollat sua munera cerdo:

Tecum

Tecum habita, & noris, quàm sit  
tibi curta supellex.

tenui alio lemmate, meisque viribus magis conuenienti, tutius consuluissem honori meo, & utique obseruantia, quam tibi debeo, fecissem satis: Sed tu pro amore tuo mecum agere voluisti, dùm me ex gradibus infimis in orchestram vocas: & ipse nisi sequar quò me ducis, indignus profecto sim, quem in amicorum numero habeas, detrectantem scilicet negotium illud in me recipere, quod siue tua de causa, qui jubes, siue mea, qui parere modis omnibus tibi debeo, non possum cupidissimè non amplecti. Hoc igitur dum facio, tuum erit, Beuero-uici, curare, ne fraudi mihi sit apud tot Proceres literarios, qui jam antè compulsis tuis epistolis, de fatali vitæ termino responderunt, obsequium erga te meum, si post messem illam, quam fecerint rerum pulcherrimarum, qua de hac dubitatione proferrè à doctissimis hominibus in medium poterant, vix mihi spicilegiũ aliquod relictum est, testanda non tam eruditioni, quàm diligentia, & fidei in amicos mea. Sed non minus consulere debes aequi bonique, quod,

multis occupationibus impeditus, quæ meditationi tam molesta sunt, & aduersa, ut nihil supra, sustinui, tam diu me in ære tuo esse, quamquam animo semper illius dissoluendi, statim atque se cõmoda aliqua præberet occasio. nosti siquidem illud Chryssipi apud Senecam, qui gratus futurus est, *De benef.* illum velut ad certamen cursus compositum, & carceribus inclusum, operiri debere suum tempus, ad quod velut dato signo profiliat: quemadmodum ego nunc facio, tam promptum & bonum nomen, quàm tibi forsitan tardum videbor: nisi pro tua singulari beneuolentia reputes, mihi post meum discessum ex amœnissima Valle Reatina, quæ mirum quàm otio liberali, meisque Musis amica sit, nullum aliud tempus ab Aulicis interpellationibus liberum fuisse, quo tecum liberè, & ex animo esse possem. Vale.

Dabam Romæ, pridie Non. Septemb. M. DC. XXXIIX.

QVÆ